

Position. Canonis Missæ, ad illa verba *Memento Domine Famulorum* &c. hæc circiter Annum Christi *ccccxxxvii.* scribebat: *LUCE CLARIUS CONSTAT, QUIA PERFECTORUM JUSTORUM ANIMÆ, MOX UT hujus CLAUSTRACARNIS EXEUNT, IN COELESTIBUS SEDIBUS RECIPIUNTUR.* Ita verba hæc, quæ quidem, ut supra vidimus, sunt Gregorii Magni Romani Pontificis cap. 2. lib. iv. Dialogorum, Florus ipse sua fecit. Ibi quoque de iis dicit: *Quamvis nondum cum suis Corporibus, JAM tamen ANIMÆ eorum REGNANT CUM CHRISTO.* Eandem sententiam invenias in Libris Theodulphi Aurelianensis Episcopi, *Walafridi Strabi, Dungalii, Amulonis Lugdunensis Archiepiscopi, Erminoldi* in Vita Sancti Solæ Abbatis, *Eulogii* Archiepiscopi Toletani, *Servati Lupi,* & aliorum ejusdem Sæculi ix. Scriptorum, quos recensere supervacaneum ducto. Quod autem non in istius tantam Sæculi, sed & in præcedentium Ecclesiasticorum Libris animadvertat Lector, sæpe illi de Resurrectione carnis, ac de postremo Judicio loquuntur, ejusque magni diei adspæctum (quod & nos nunc facimus) ad spem ac terrorem Fidelium ita describunt, ut ad illud dumtaxat tempus referre videantur poenarum & præmiorum distributionem a Deo constitutam. Verum non hæc illorum mens erat. Ideo in animos Christianæ gentis tremendi illius diei scenam præ omnibus ingerebant, quia nihil revera vehementius in Evangelica Lege nostras mentes concutere atque ad virtutem impellere, revocare vero a vitis potest, quam tantus ille apparatus, simul dulcis, atque terribilis divinæ Justitiæ. Præterquamquod tunc & Justorum felicitas, & Improborum infelicitas, restituta Carne, ad apicem suum est adducenda. Attamen norant illi, nihil aliud revera futurum esse supremum Judicium, nisi coram universo hominum genere Revelationem, Manifestationem, sive Confirmationem præcedentis occulti atque peculiaris Judicii, quod jam subierant, qui heic viam universæ carnis ingressi fuerant. Scilicet quotiescumque occasio ferebat, agnoscebant Scriptores illi, non expectato secundo & solempni Adventu Filii Dei; Animas carnis vinculis solutas, vel ad beatam in Cœlis vitam, si purgatæ erant, vel ad poenas Inferorum deferri. Unum instar omnium exemplum dabo. Usque ad Annum Christi *ccccxlv.* vitam suam produxisse videtur *Paschasius Radbertus* Monachus, sive Abbas Corbejenfis, vir magni nominis inter ejus Sæculi Scriptores. Prostant ejus Commentarii in Evangelium Matthæi, ubi crebra est supremi Judicii, veluti Re-tributionis omnium, mentio. Attamen is lib. xi. ad illa Domini verba: *Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit,* diserte fatetur, agi illic de hora mortis singulorum Fidelium, & de occulto Christi Judicis adventu, ut rationem exigat a servis suis. Deinde ad illa verba: *Amen dico vobis, quod super omnia bona sua constituet eum:* jam Sanctis conlatum laborum præmium deprædicat. Numquid, ait, non Petrus, non Paulus, non OMNES reliquit SANCTI,